

veniem Deo placentem, rationale obsequium vestrum. Non enim ad sacerdotes solos scribens, hac ipsis mandabat, sed vniuersæ Ecclesiæ. Vnumquemque enim ipsorum hac in parte sacerdotem esse iussit. quod si castitas & pudicitia subditos sacerdotes creat, libido proculdubio ac lasciuia sacerdotibus dignitatem abrogat. Atque hoc quidem leges & Ecclesiastica instituta sanciant: verum haud admodum tamen istud fit, quam ob causam, non est in eum commemorare. At verò qui diuino sacerdotio redimti, ac præfecturam dignè consecuti sunt, si corpori quoque castitatem custodiant, verè plusquam sacrosancti sunt. Vt enim in veteri Testamento sacerdotij munere fungi exceptis sacerdotibus nemini licebat, Pascha tamen tempore omnes Sacerdotij honore afficiebantur: (vnusquisque enim pecudem immolabat) sic etiam in nouo ac successione experte, se iunctim quidem, ac velut prærogatiuæ nomine, inuenta victimæ sacrificium ij habent, quibus illud offerre concessum est: At interim vnusquisque sui corporis Sacerdos creatus est: non vt citra ordinationem & institutionem subditorum imperium obtineat, sed vt vitii imperans corpus suum castitatis delubrum aut templum efficiat. Sic explicat Apostolum sanctus Isidorus. Apud Agellium autem Noct. At. l. 9. cap. 2. Mufonius conqueritur, quod sanctissimum Philosophi nomen vsurpent spurca, inquit, animalia, & subdit; Maiores autem mei Athenienses nomina fortissimorum iuuenum Harmodij & Aristogitonis, qui libertatis recipiendæ gratia Hippium tyrannum interficere adorti erant, ne vnquam seruis indere liceret, decreto publico sanxerunt, quoniam nefas ducerent nomina libertati patriæ deuota seruili contagio pollui. Chr ergo nos patimur nomen Philosophiæ, dic Sacerdotij potius, illustrius in hominibus deterrimis exordescere.

Pascha tempore vnusquemque sacerdotem agere licuit.

Mufonius apud Agellium Noct. At. l. 9. cap. 2.

VERSUS IV.

Venit ergo dies, & immolauit Elcana, deditque Phenennæ vxori suæ, & cunctis filiis eius, & filiabus partes.

Abulensis. Tornicius. Non videtur Samuel primis annis Heli præfecturam potuisse. Quo anno Heli præfecturæ id contigerit statuere difficillimum est. Abulensis circa 7. id accidere potuisse crederat: verum Tornicius, qui non ita pridem Annales ab Orbe condito edidit, putat illum auctorem non satis accuratè temporum rationem habuisse. Ipse, cum decreuisset Heli principatus exordium, ab anno mundi 2900. præter omnium quos legerim sententiam, cepisse, quo tempore Heli ætatis suæ 58. agebat: statuit hoc Elcanæ sacrificium 1. anno Heli præfecturæ esse peractum. Alioquin enim, cum post Heli mortem illico, & abique vlla temporis intercapedine,

Samuëlem velit Reipublicæ gubernacula suscepisse, nisi statim à primordio Heli magistratus Samuëlem à Deo impetratum concedimus, admodum iuuenis Rempublicam capesceret. Quod quàm absurdum sit, ex eo patere potest, quod senex & canus describitur suis filiis suas vices commississe, cum tamen non amplius quàm viginti, aut triginta annis, vt est communior opinio, præfuisset. Verum, an citò post cladem populi iudex Samuëlem institutum sit, an potius interregnum aliquod interponendum sit, postea videbimus. Nam hoc præterea in illa opinione me malè habet, quòd eo pacto necesse sit, vltimam illam admotionem, qua Deus Heli per Samuëlem corripuit, annis penè triginta calamitatem præcessisse, & eundem ab anno sexagimo, aut quod proximè excurrit, præsenio caligare cœpisse, cum tamen plures adhuc illa ætate oculorum acie videntes aspiciamus.

VENIT dies. Qui dies: Nam si de solemnibus agitur, plures erant, vt etiam antea diximus. Philo Biblicus diem bonum Paschæ designat, cuius fidem adhibemus, frustra Vermilius admonuerit Elcanam dici sacrificasse, non quòd ipse immolauerit hostias, sed tantum adduxerit eas ad tabernaculum: Leuita siquidem erat, non sacerdos. Vnde & annotabimus, inquit, illum quoque dici sacrificare, qui victimam offert ad fores tabernaculi vt immoletur. Atque ita Saül, Dauid, & alij, cum sacerdotes non essent, nihilominus tamen sacrificasse leguntur. Frustra, inquam, Vermilius illud admonuerit, quoniam etsi quolibet alio tempore solis sacerdotibus immolare liceret, Pascha tamen tempore, vnusquisque pater familias intra domesticos parietes sacerdotis officio fungebatur. Hoc ipsi lex aperte prædicat Exo. 12. præcipiens, vt vnusquisque per familias & domos agnum immolet, & vtriusque postem cum limine hostiæ sanguine tingat. Philo Iudæus idem repetit lib. 3. de vita Moysi. Quo loco, post alia quædam hoc etiam subdit: quo tempore non vt alias plebei homines victimas adducunt ad altare mactandas à sacerdotibus, sed iubente lege tota gens sacrificat, dum pro se quisque mactat hostiam suis manibus. Et iterum libro de Decalogo: patria Hebræorum lingua Pascha dicitur, quando populariter singuli sacrificant non expectatis sacerdotibus, ipsi, permisso legis, fungentes sacerdotio quotannis per vnam diem destinatum huic negotio. In eandem etiam sententiam superiore versu sanctum Isid. Pelusiotam citauimus, quanquam, vt verum fatear, nõ desunt ex Scripturis quæ huic traditioni refragari videantur. Nam Paralip. 2. c. 30. narratur Leuitæ tempore Ezechie Regis, immolasse Phasæ bis, qui non occurrerant sanctificari Domino. Et iterum eiusdem libri cap. 35. Et immolatum est Phasæ (inquit Scriptura) regis scilicet Tosie cura ac providentia: Afferueruntque sacerdotes manu sua sanguinem: & Leuitæ detraxerunt pelles holocaustorum. Et separauerunt ea vt darent per domos & familias singulas, & offerrentur Domino, &c. His vtique testimoniis refer-

Philo Bibl.

Exod. 12.

Philo Iudæus l. 3. de vita Moysi. Vnusquemque pater familias in Paschate victimam propriam immolare potuisse.

Paral. 2. c. 30.

Paral. 2. c. 35.